



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio j. Dubitationis Resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DUBITATIO XXXVII.

An ad eandem pœnas, & præcipuè Gregorij XIV. excommunicationem incurrendam, sufficiat, quod remota extractione, Iudex laicus solum iubeat, reum occidi in Ecclesia, & Ministri ibi eum occidant?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex laicus mandans reum solum occidi in Ecclesia, incurrit pœnas, & excommunicationem Constitutionis Gregorianæ, si Ministri illum ibi occidant.
- 2 Iudex laicus iubens occidi reum in Ecclesia, non solum facit præter, sed etiam contra Constitutionem.
- 3 In legem committit non solum qui contra eius verba, sed etiam qui agit contra mentem.
- 4 Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectitur, & contra legis nititur voluntatem.
- 5 Recedere debemus à verbis legis ad hoc ut mentem seruemus, idque non solum quando mens, seu ratio legis est expressa, sed etiam quando non est expressa.
- 6 Mens, & ratio finalis Constitutionis Gregorianæ fuit reuerentia debita sacris templis, & sic indemnitas confugientium ad illa.
- 7 Maiorem offensionem in confugientes ad Ecclesiam præstat, qui iubet occidi, vel occidit in illis, quam qui extrahit ex illis.
- 8 Lex frequentioris usus causa aliquid decernens, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit.
- 9 Quis admitti non debet per aliam viam, quando per unam prohibetur illud facere.
- 10 Vbiunque etiam in odiosis, & pœnabilibus est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debet esse eadem iuris dispositio, quia tunc non fit extensio, sed declaratio iuris.
- 11 Vbiunque est eadem ratio (licet non simus in eadem materia) fit idem casus formalis ex mente iuris.
- 12 Constitutio pœnalis non dicitur extendi, ubi extenditur ex mente eiusdem Constitutionis.
- 13 Lex licet prohibeat extensionem, tamen non remittit extensionem de similibus ad similia.
- 14 Similia sunt in quibus est eadem ratio, vel maior.
- 15 Vbiunque & in quacunque materia ratio legis locum habet, ibi etiam locum habet ipsa lex.
- 16 In his, quæ per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extensiva, sed comprehensiva.
- 17 Lex pœnalis licet extendenda non sit de casu ad casum à paritate, vel maiori ratione, extendenda tamen est etiam quando agitur de censuris, quando alioquin redderetur elusoria.
- 18 Interdictum civitatis, ne remaneat elusorium, extenditur ad suburbana.
- 19 Glossa in Clem. 1. de sepult. & in cap. quamquam, de usuris in 6. extendit constitutionem illam odiosam de testamento ad Codicillos, & omnem ultimam voluntatem.

- 20 Excommunicatio lata contra confringentes, & spoliantes Ecclesiam extenditur contra comburentes.
- 21 Lex extendenda est quando primario est favorabilis, licet secundario sit odiosa.
- 22 Dispositio ex primario sine attendenda est.
- 23 Glossa in cap. si propter, de rescriptis in 6. vers. primi anni, Constitutionem illam fructus vmaturos Episcopo mortuo reservantem appellat favorabilem, quia edita est in favorem Episcopi, quamvis redundet in damnum eorum, quibus fructus obvenire debebant.
- 24 Excommunicatio lata in Canone si quis suadente, licet pœnam contineat, non pœnalis, sed favorabilis est, atque ideo extendenda.
- 25 Leges latae pro defensione Immunitatis Ecclesiasticæ, etiam si pœnas infligant, favorabiles sunt, & inter privilegia computari debent.
- 26 Reus dura in Ecclesia existit, non potest vinculis alligari, vel alio quocunque modo vexari.
- 27 Quotiescunque est opinio hinc, & inde probabilis, opinio illa amplexanda est, quæ facit pro Ecclesia, cum in dubio favendum sit Ecclesie.

Respondetur ex dictis affirmatiuè: atque ita docent Naldus in annotationibus practicis ad Ius Canon. cum, fol. 61. Ioan. Maria Nouarius tract. de elect. fori, tom. 2. p. 2. q. 14. Paulus Squillante tract. de obligat. cleric. part. 5. dub. 14. n. 90. ubi testatur, ita etiam fuisse observatum in facti contingentia.

Prima Probatio.

Probatur primò; quia sic, & præcipuè, fit contra Constitutionem Gregorij XIV. in qua de facto excommunicantur attentantes facere aliquid præter, vel contra formam ipsius Constitutionis, quæ cum statuatur confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudere, Iudex iubens ibi reum occidi, & ministri ibidem occidens, videtur non solum præter, sed contra Constitutionem (& præcipuè) attentare, & operari: ergo, &c.

Secunda Probatio.

Secundò probatur; quia in legem committit, non solum qui contra eius verba, sed etiam (& magis) qui contra mentem facit, ut habetur in l. non dubium, Cod. de legib. docent ibi Bartol. & alij Iuristæ communiter. Item & ut habetur ex regula iuris, certum 88. lib. 6. ibi: Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectitur, & contra legis nititur voluntatem, docent ibi Gloss. Dynus, Pechæus, & alij communiter, quos sequitur Thom. Vallascus tom. 1. alleg. 67. num. 41. Item, & ut habetur ex l. scire, ff. de legi. l. non aliter, ff. de legat. 3. l. nominis, & rei, §. verbum ex legibus, ff. de verbor. signific. & tradunt Surdus decis. 35. num. 14. Ferrerius in constit. Cathol. gloss. 4. m. 66. & alij communiter. Quod ad id verum est, ut dixerit Bald. in dist. l. scire, Bartol. in l. cum mulier, ff. solut. matrim. Iason in l. iuris gentium, §. ait Prator, num. 15. de pactis, Abb. consil. 1. num. 7. volum. 1. & Bartholomæus Humada in schol. ad gloss. Lopez leg. 57. tit. 5. part. 1. gloss. 2. num. 7. quod recedere debemus à verbis legis, ad hoc ut mentem seruemus (idque non solum, quando mens, seu ratio legis est expressa, sed etiam quando non est expressa: ergo cum mens, & ratio finalis Constitutionis Gregorianæ fuerit (ut patet etiam ex ipso contextu) reuerentia debita sacris Templis, & sic indemnitas confugientium ad illa, dicendum est, ad hoc ut Constitutionis dictæ mens, seu intentio, & ratio seruetur, quod licet verba Constitutionis dirigantur in extrahentes, interpretanda tamen (& à fortiori) sint in occidi iubentes

iubentes, & occidentes; quia certe maiorem irreuerentiam in sacra Templa, & maiorem offensionem in confugientes ad illa praestat, qui iubet occidi, vel occidit in illis, quam qui extrahit ex illis.

Neque obstat, si dicatur, quod extrahi ex Ecclesia, fit frequentius, quam occidi iubere, vel occidere in Ecclesia; & sic quod excommunicatio feratur in extrahentem ex Ecclesia, non in iubentem occidi, vel occidentem in Ecclesia; quia in casu nostro, & in omni alio simili, propter rationem dictam lex frequentioris usus causa aliquid decernens, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit. Gloss. in l. unic. C. de raptor. virgin. l. verbo Dei. C. de his qui ad Ecclesiam confug. & Clemens. 1. verb. Praesidentes, de rescript. & ibi communiter Doctores. Item Valasc. tom. 1. consil. 8. n. 2. Peralta in l. Lucius 1. n. 22. ff. de legat. 2. & Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 20. n. 3. & lib. 9. disp. 14. n. 16. Et confirmatur; quia non debet quis admitti per aliam viam (praesertim peiorem, ut esset in casu nostro) quando per vnam prohibetur illud facere. l. oratio. ff. de sponsal. regni. Nunaud 84. lib. 6. & ibi Gloss. Dynus, Pecharus, Ioseph. Sesse decif. Aragon. 28. n. 11. & alij, quos citat, & sequitur Larrea in decif. Granatens. p. 2. de is. 67. n. 13.

Tertia Probatio.

Tertiò probatur, quia licet lex poenalis extendenda non sit de casu ad casum à paritate, quin neque à maioriore rationis, ut supra dub. 24. scilicet. 3. dicebamus (et si contrarium non improbabiler, saltem pro foro externo, doceant alij ex text. in l. 2. vers. si curatores. ff. ad Tertyl. in cap. si postquam, cum gloss. de elect. in 6. & ex eo, quia ubicumque, etiam in odiosis, & poenalibus est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debet esse eadem iuris dispositio; quia tunc non dicitur fieri iuris extensio, sed potius quaedam declaratio. Gloss. in c. 1. verb. Italia, de tempor. ordinand. lib. 6. quam pro singulari commendat Abb. in c. nihil, de elect. & in c. fin. de rescript. Cynus in l. 1. C. de interd. vbi Bald. allegando illam glossam ait, quòd ubicumque est eadem ratio, ibi licet non sumus in eadem materia, sit idem casus formalis ex mente iuris: & in l. illud, & l. si quis seruo, C. de furtis, dicit quod Constitutio poenalis non dicitur extendi, vbi extenditur ex mente eiusdem Constitutionis, iuxta Gloss. in c. si postquam, de elect. in 6. vbi Gloss. verb. mente, Cod. de sacrosanct. Eccles. docet, quod licet lex prohibeat extinctionem, tamen adhuc fiat extensio de similibus ad similia, similia autem subdit Baldus, sunt illa, in quibus est eadem ratio, vel maior, l. non solum, §. quia privilegium, ff. de excusat. iur. or. & allegat Cynus ibi, & Gloss. in d. cap. 1. Quae omnia late tradit etiam Alphonsus Moditijs in §. lex est, Instit. de iure gent. dub. 54. n. 1. & Guttier. in praet. qq. lib. 3. q. 17. n. 83. probans, quod ubicumque, & in quacumque materia ratio legis locum habet, ibi etiam locum habeat ipsa lex, ex illud, ff. ad leg. Aquiliam, & ex l. a Tizio, ff. de verb. oblig. Tiraquel. de causa cessante, p. 1. n. 151. Decian. consil. 76. n. 10. lib. 2. Mascard. de probat. concl. 313. num. 9. & conclus. 1162. n. 4. Mantica de comel. ult. volum. lib. 2. cap. 11. n. 30. Dec. consil. 89. n. 90. & Barb. consil. 10. n. 11. & seqq. lib. 2. Vnde in his, quae per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extensiva, sed incomprehensiva. Tiraquel. cit. part. 1. de causa cessante, n. 136. & seqq. Roland. à Valle consil. 27. n. 6. & seqq. lib. 1. Bec. consil. 62. n. 17. & alij multi, quos citat, & sequitur Molin. lib. de Hispan. primogen. 5. n. 12. Et dicitur fieri interpretatio intellectiva, non autem extensiva. Bald. in l. Quomodo in princip. C. de fideicom. Tiraquel. loco supra cit. n. 155. Decian. cit. consil. 76. n. 10. lib. 2. Et non dicitur lex extendi, sed casus sub eiusdem legis dispositione includi. Parisius consil. 32. n. 20. lib. 2. & Crauera de antiquit. temp. 4. part. in princip. n. 91. & seqq. licet, in Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars II,

quam, lex poenalis extendenda non sit de casu ad casum à paritate, quin neque à maioriore rationis, extendenda tamen est, etiam si agatur de censuris, quando alioquin, si non extenderetur (ut esset in casu nostro) restaret elusoria, cap. si sententia, §. fin. & c. si ciuitas, de sent. excomm. in 6. vbi interdictum ciuitatis, ne refter elusorium, extenditur ad suburbana. Gloss. in Cle- 19 mem. 1. de sepulch. & Gloss. in cap. quamquam, de iuris in 6. vbi extendit, ne sit elusoria, constitutionem illam odiosam de testamento, ac codicillo, & omnem vltimam voluntatem. Felin. in c. translatio, de Constit. n. 14. Tiraquel. in legib. connubialib. gloss. §. n. 115. Nauar. c. 27. n. 51. Sarmient. lib. 1. secl. interpret. cap. 12. n. 7. Couar. var. resol. lib. 3. c. 3. n. 9. Suar. lib. 4. c. 2. n. 7. Mascard. de probat. conclus. 596. n. 20. & Valasc. tom. 2. consil. 159. n. 10.

Item extendenda est, quando est lata (ut in casu nostro) in fauorem animarum. Bartol. in Auth. Sacramenta puberum, n. 19. C. si aduersus venditionem, & ibid. Iason n. 72. Francus cap. sciant cuncti, de elect. in 6. n. 6. addens, Quantumcumque lex correctoria sit. Hostiens. in c. penult. in fin. qui filij sint legitimi, & ibid. Ioan. Andreas n. 5. Anton. n. 9. Anchar. n. 5. Abb. n. 5. & 6. Henric. n. 10. Alexander de Neuo n. 7. Praeposit. n. 3. Castil. leg. 40. Tauri. n. 14. Couar. 4. decret. p. 2. cap. 6. n. 12. Perez lib. 5. Ordin. tit. 1. fol. 39. col. 1. Gratian. regul. 111. n. 6. Flamin. de resignat. benef. lib. 1. §. 9. n. 17. Azueved. lib. 5. recapit. tit. 1. l. 2. n. 4. & Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 1. n. 8.

Item extendenda est, quando est lata (ut etiam in casu nostro) in fauorem Ecclesiae. Gloss. in cit. cap. sciant cuncti, verb. alias, & ibid. Dominicus n. 6. Francus n. 6. & Lessius de iust. & iur. lib. 2. c. 45. dub. 4. n. 22. vbi ex Suarez excommunicationem in c. conquesti, de sent. excomm. latam contra infringentes, & spoliantes Ecclesiam, extendit contra comburentes (licet comburens non sit proprie infringens, & spolians) quia lata est in fauorem Ecclesiae.

Item extendenda est, quando (ut etiam in casu nostro) lex, licet secundariò sit odiosa, & poenalis, primariò tamen est fauorabilis; quia tunc simpliciter est fauorabilis, & sic extendenda, cum dispositio ex primario fine attendenda sit. Gloss. in c. si propter, de rescript. in 6. 23 vers. primi anni (vbi Constitutionem illam fructus vacaturos Episcopo mortuo referuantem, appellat fauorabilem, quia principaliter edita est in fauorem Episcopii, ut debita persoluat; quamvis redundet in damnum illorum, quibus fructus obuenire debebant) ibid. Dominicus num. 9. & Francus n. 6. Item Gloss. in cap. sciant cuncti, de elect. in 6. verb. alios, ibid. Dominicus, & Francus in fin. Item Bartol. in l. qui exceptionem, n. 2. de condit. indeb. ibid. Alberic. n. 1. & Salicet. n. 1. Idem Bartol. in l. si quis nec causam, n. 6. si certum petat. & ibid. Paulus n. 4. Felin. in c. 4. de sponsal. n. 14. & in cap. non dubium, de sent. ex. omn. n. 2. adducens textum in c. 2. §. statimur, de decimis in 6. ibi: Cum non sit dicendum asperum, sed pium potius, ac benignum. Item Siluest. verb. Interpretatio, in fin. Couar. var. resol. lib. 1. c. 11. n. 5. Flamin. de resignat. benef. cior. lib. 1. §. 2. n. 23. & seqq. Mandosius regul. 10. de Annali. §. 3. n. 7. Alphons. Moditijs in §. lex est, Instit. de iur. gentium, dub. 21. n. 4. docens, quod excommunicatio in c. si quis suadente, 17. q. 4. licet poenam contineat, non poenalis, sed fauorabilis sit, atque adeò extendenda; ex eo, quod principalis intentio disponentis ibi fuerit fauor clericatus. Item Merolla tom. 3. disp. 6. c. 6. dub. 1. n. 14. in terminis dicens, quod leges latae pro defensionibus ne immunitatis Ecclesiasticae (etiam si poenas infligant) fauorabiles sint; & inter priuilegia computari debeant. Quapropter Constitutio Gregorij XIV. cum principalis intentio Pontificis ibi fuerit fauor Ecclesiae, & reorum ad illam confugientium, dicendum est, quod (licet poenas in extrahentes inferat) non odiosa, sed fauorabilis sit, atque adeò extendenda.

Quarta Probatio.

26. Quartò probatur; quia reus dum in Ecclesia existit, non potest vinculis alligari, vel alio quocumque modo vexari, *l. present. c. de his, qui ad Eccles. confug.* (vbi indefinite præcipitur, ne ei requies denegetur) & *cap. id constituimus, 17. 7. 4.* (vbi præcipitur, ne ad mortem, vel ad aliquam poenam corporalem damnetur, sed de morte, debilitate, & omni poenatum corporalium genere securus sit), & *c. ejusdem, 17. 9. 4.* vbi præcipitur, ne ei aliqua vis, nocibilitas, vel damnum inferatur. Ergo multò minus poterit, dum in Ecclesia existit, ibi occidi. Vide quæ dicebantur *supra dub. 27. & seqq. usque ad 31.*

Quinta Probatio.

27. Quintò probatur; quia quotiescumque est opinio hinc, & inde probabilis, opinio illa amplectenda est, quæ facit pro Ecclesia, cum in dubio fauendum sit Ecclesiæ (vt omitam, quod in dubio fauendum sit etiam reo) *cap. fin. de sent. & re iudicata, l. sum persona, ff. de relig. & sumpt. funer. & docet Iason in l. filius familias, §. diu. n. 28. & in repet. n. 110. ff. de legat. 1. Felin. in cap. 1. tit. 104. de Constit. Decian. lib. 3. conf. 80. n. 12. Honded. lib. 1. conf. 3. n. 24. Bellet. in disquis. cleric. part. 1. tit. 6. §. 4. n. 13. Maynard. de privilegijs Eccles. part. 2. art. 22. n. 61. Ricc. in prax. p. 3. resol. 42. n. 2. Diana p. 1. tract. 2. resol. 27. Ioan. Solorzan. de Indiarum iure, tom. 1. lib. 2. cap. 24. n. 39. Farinac. in append. de immunit. c. 8. n. 123. in fin. Maranta p. 2. respons. 36. n. 11. & respons. 51. n. 12. Giurba consil. 10. n. 25. in fin. Guazzin. defens. 20. n. 20. & Sperel. decis. 60. n. 13. Vide etiam quæ dicuntur *infra dub. 46.**

SECTIO II.

Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

SUMMARIUM.

1. In Constitutione Gregoriana quando excipiuntur casus ob quos est licita extractio, apponitur particula *taxatiua* (tantum) quæ non apponitur quando poena statuitur.
 2. Ecclesia violatur si Iudex existens extra illam emissio iaculo occidat reum in ea manentem.
1. Obiicies primò, si nostra responsio affirmatiua vera esset, sequeretur, quod dum in *cap. inter alia, de immunit. Eccles. & in Constitutione Gregorij XIV.* excipiuntur propter grauitatem suam, ne gaudeant immunitate quidam casus, intelligerentur excepti alijs à paritate, vel saltem à maiori, & identitate rationis: sed hoc est contra id, quod *supra dub. 24. sect. 3.* dicebamus: ergo.
- Respondetur, nego sequelam maioris; quia dum in *cap. inter alia, & in Constitutione Gregorij XIV.* excipiuntur ab immunitate quidam casus, apponitur ibi particula *taxatiua tantum*, quæ non apponitur in casu nostro, vt v. g. dicatur: Excommunicati sint extrahentes tantum. Quapropter retorquetur argumentum.
- Respondetur secundò, dato, quod quando in iuribus citatis excipiuntur propter grauitatem suam ab immunitate quidam casus, non excipiuntur ibi cum particula *taxatiua tantum*, sed simpliciter; adhuc nego sequelam maioris, & do disparitatem ex singulis rationibus *supra* adductis, præcipue ex tertia.
2. Obiicies secundò, non violatur Ecclesia, si Iudex extra Ecclesiam existens, Reipublicæ perturbatorem in Ecclesia existentem, quem capere non potest, emissio

iaculo occidit, cum actum debitum, & iure sibi concessum exerceat, & sic vtatur iure suo, vt dicit Henriquez in *summ. lib. 4. c. 17. n. 4. in fine*: ergo.

Respondetur, nego antecedens, & antecedentis probationem, cum quoad hoc minus rectè locutus sit Henriquez, teste Fagundez eiusdem Soc. Iesv in *Decalog. tom. 2. lib. 6. c. 3. n. 14.* Vide quæ dicebantur *supra dub. 19. sect. 7.*

DVBITATIO XXXIII.

An à censura tali, casu quo contracta fuerit, possit solum absolueri Pontifex, vel etiam possit Ordinarius, & sic de illius facultate quilibet Confessor.

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

1. Ordinarius probabiliter, & de illius facultate quilibet Confessor potest absolueri a censura incursa propter rei extractionem, quia nullibi reperitur Pontif. ei reservata.
2. Multò magis, si delictum fuerit occultum.

Respondetur, quod probabiliter possit etiam Ordinarius, & sic de illius facultate quilibet Confessor, facta restitutione, & satisfactione ab eo, qui censuram contraxerat, modò eam præstare possit iuxta regulas, quas tradunt Doctores in tractatu de censuris in communi. Probatur; quia nullibi talis censura reperitur Pontifici reservata: ergo conceditur etiam Ordinario, & sic de illius licentia quilibet Confessori, ex textu in *cap. nuper, de sent. excom. & docent Genuensis in prax. 22. n. 3. & seq. Bonac. disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 6. n. 8. Barbola de potest. Episc. p. 2. alleg. 51. c. 3. n. 72. in impressione Romana. Gratian. in discept. tom. 4. cap. 41. n. 12. Graff. tom. 1. lib. 3. consil. vnic. n. 29. in fin. de immunit. Megal. in 3. p. lib. 4. c. 2. resol. 333. n. 1. Bellet. in disquis. cleric. tit. de fauore cleric. §. 4. n. 39. Rainer. in catal. cens. c. 9. excomm. 31. Macerat. resol. 15. lib. 3. Ricc. in praxi, part. 2. resol. 333. Cutel. de immunit. Eccles. lib. 1. q. 41. Nald. verb. casus reservatus n. 1. Homobon. de exam. Eccles. part. 2. tract. 11. c. p. 12. q. 26. suppos. 3. Marius Anton. var. resol. lib. 3. resol. 15. & Zipaxus lib. 3. tit. de immunit. Eccles. n. 13. contra Farinac. in append. de immunit. c. 20. n. 15. Graff. in consil. vnic. de immunit. Filliuc. tom. 1. tract. 15. c. 60. n. 155. Barbol. de iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. n. 167. Marant. in controuerf. iur. p. 2. respons. 36. n. 14. Dian. part. 6. tract. 1. resol. 34. Scott. in Bullar. epitom. 152. theorem. 387. Mar. Ital. de immunit. Eccles. c. 6. §. 2. n. 3. Thesaur. in prax. p. 2. verb. Immunitas cap. 1. Duard. in Bull. Cæn. lib. 2. conf. 15. q. 16. n. 19. Ciarlin. in controuerf. forens. c. 10. n. 38. Lezana, & Peregrin. de immunit. c. 15. n. 16. Ex his sequitur, quod à fortiori possit Episcopus, alijsve Confessariis ab ipso specialiter deputatus ab hac censura absolueri, si delictum sit occultum, ex decreto Tridentini Concilij sess. 24. c. 6. iuxta ea, quæ dicebam lib. de Parlamentis, dub. 4. sect. 19. subsect. 34. & 35. & dicam *cap. ult. dub. 28. 69. 81. & 82.**